Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2125
Quelle:
Copyright:

ne. Tercia eſt quam cotidie ſapientia edificat in cordibus noſtris ex iugi legis dei meditatione. Quarta eſt quam mater gratia operatur in nobis &c. Non itaque *Hugo* ſupra per *τo archa matris gratie* B. Virginem innuit, ut primo intuitu credi poſſet. Reliquorum *Libb.* initia et fines cum Edit. concordant; aſt in fine L. IV. poſt verba: *in contemplatione ueritatis* addit Codex: *Breuiter dicturus eram ſed fateor uobis multa me delectat loqui. et erat adhuc fortaſſis quod dicerem. ſi ueſtrum faſtidium non timerem. Nunc igitur ipſius archę noſtrę exemplar proponamus ſicut propoſuimus quod exterius depingimus. ut foris diſcas quid intus agere debeas. ut cum huius exemplaris formam in corde tuo expreſſeris. domum dei in te edificatam eſſe leteris.* Quam particulam ſi in Exemplis ſuis praeſto habuiſſent Editores *Rothomag.* vix *Librum de Arca Noe* primum poſuiſſent, ſed loco poſtremo, ut eſt in Noſtro, reliquiſſent. Cetera hic quoque Liber cum Edit. conſpirat.

II. *fol.* 136. p. 2. ἀδεσποτως ſuccedunt ejusdem *Hugonis Praenotationes Elucidatoriae de Scripturis et Scriptoribus ſacris*; ſed tantum a *Cap.* 4. usque ad finem. Initium eſt: *Diligens ſcrutator ſacri eloquii rerum ſignificationes nequaquam negligere debet* &c. Extant Edit. *ſupracit.* T. I. p. 1. Verum multo uberius in *Codice*; nam et integra inſerta eſt *de Ponderibus et Menſuris* tractatio, et *Chronologia* tam ſacra quam profana copioſius multo digeſta, ut adeo *Hugonem Victorinum* olim curatius, quam factum eſt, edituris non parum opis in his membranis repoſitum ſit. Alia Ejus indicavimus ut *Index* docet. Principio et Fini Codicis coaeva manu adſcripti ſunt *Hymni* II. de B. V. *Maria*, quorum prior incipit:

Aula Maria dei benedicta ſuper mulieres;
Celo ſcala uebens. Dos uitę. luminis heres &c.

Alter:

Si caput iſtorum connectas uerſiculorum.
Verba ſalutantis matrem legis inde tonantis.
Celitus emiſſi. ſubiuncto nomine Chriſti.

Atque ita collectis initiorum literis conficitur *Ave Maria Jeſus.*

Alteri praeterea Codici praetextae Membranae adſcripti ſunt Verſus ex *Arte Poetica Horatii*, aliisque ejus *Epiſtolis*, neſcio quo conſilio, decerpti, unde ſequentes lectiones notare viſum: